

ea omnia plene, iuste et pacifice possidere metropolitan(e) Sancte Severine consuevit ecclesia et propterea venerabilem abbatem et fratres Floris esse ipsarum omnium rerum singulares et legitimos possessores. Cumque id nobis hoc modo et argumentis ac omnibus aliis constitisset, prenotato domino Symoni, qui una cum domino Catacensi episcopo fratre suo, domino Alexandro de Policastro nepote suo et aliis spectabilibus personis iuxta mandatum nostrum venerat prefixo die et astabat, iussimus, ut ad ea, que contra ipsum venerabilis abbas pro sua et conventus sui parte per fratrem Belprandum monachum suum super iamdictis pascuis proponebat, videlicet de ovili, quod infra divisas prenotatarum pascuarum ipsorum figere et ovibus ac aliis animalibus, que in eiusdem monasterii damnum et preiudicium super inducere presumpserat, responderet et plene satisfaceret rationi. Ipse vero dominus Symon plene secum et cum advocatis suis ac sua parte deliberans habito, que sufficienti consilio per dominum Guillelmum de Apriliano sororium et advocatum suum ita respondit dicens, cum monasterio Floris super sede ipsius ovilis, quod sicut predictum est, in damnum et iniuriam ipsius monasterii a regione Castellacii fixerat vel ovium et aliorum animalium pascuis, que ibidem aliquando et aliquandiu se nullo modo velle sive debere litigare vel contendere, inde contra monasterium Floris, sed prorsus tam^{k)} sedi ipsius ovilis, quod figere ibidem presumpserat, quam ipsis pascuis ovium et aliorum animalium in perpetuum abrenuntiare perfecte et numquam se vel heredes suos monasterio Floris super predicti Castellacii tenimento vel pascuis damnum vel detrimentum aliquod aut gravamen inferre vel questionem aliquam proponere vel intemptare debere. Cumque dominus Symon per dictum advocatum suum taliter respondisset, tam nos quam et pars Floris audire volumus eadem etiam per os eius. Interrogatus itaque dominus Symon, si placeret ei et si sua esset predicta responsio, statim dixit, quod placuisset et placeret utique et quod omnino illa responsio sua fuit. Et ita finaliter renuntians eidem liti omnino tam a molestia quam a causa ipsa cessavit. Pro abundantiori^{d)} vero cautela nos ipsum quoque dominum Catacensem episcopum fratrem eius super hiis et interrogari et audiri volumus. Qui et ipse similiter coram nobis protinus in ipsa curia professus est, nihil iuris aut actionis ibidem se requirere vel habere ad hec nos, ut iustum erat, nichil solentes pretermittere de tenore mandati, iuxta quod et dominus serenissimus imperator iusserat et Florentis monasterii pars petebat